Johannes dei et apostolice sedis gratia Episcopus Misnensis, Ad perpetuam rei memoriam. Dum profecto fidelium defunctorum animas solatia habere, tunc quoque refici in eternam ex iusti iudicis tortura levari credimus requiem, cum precibus sanctorum, ieiuniis fidelium, amicorum elemosinis, ac sacerdotum orationibus ac oblationibus succurratur eisdem. Hac consideratione permotus Venerabilis nobis in christo devotus dilectus dominus Johannes Kappler licenciatus ecclesie Budissinensis nostre diocesis canonicus, Ad laudem dei omnipotentis eiusque genitricis gloriosissime semper virginis Marie, omnium supernorum etiam civium, Ac pro expiatione peccaminum anime sue omniumque ex familia sua mortuorum et sepeliendorum, Necnon pro singulari refrigerio cunctarum fidelium animarum, Capellam super ossarium in cimiterio ecclesie Budissinensis de eiusdem ecclesie Venerabilis capituli devotorum nostrorum dilectorum consensu edificavit, ac in eadem altare novum construxit, volens id de bonis sibi a deo collatis congrua dote providere, viginti marcas monete currentis annui census iusto titulo reemptionis emptis et comparatis, prout in litteris et registraturis desuper confectis ad quas nos referimus et eas hic pro insertis haberi volumus, plenius continetur, nobis cum ea qua decuit reverencia offerri curavit, tam humiliter quam devote supplicans quatenus eosdem acceptare, ceteris bonis ecclesiasticis annotare, Juribus, privilegiis, emunitatibus et libertatibus ecclesiasticis ascribere, insignire et libertare, ipsos pro dote altaris incorporare, unire, appropriare, ipsumque altare sic dotatum in beneficium ecclesiasticum sub titulo suffragii [illegible] creare et erigere ac confirmare dignaremur. Nos itaque Johannes Episcopus antedictus qui gratum deo credimus impartiri famulatum cum christifideles ad misericordie opera excitamus per que salus mundi utiliter procuratur, Justis suis petitionibus inclinati census supranominatos acceptamus, ipsos iuribus privilegiis emunitatibus et libertatibus ecclesiasticis privilegiamus insignimus et libertamus, ac aliis bonis ecclesiasticis annotamus et annumeramus, prefatosque dote altaris et rectoris eiusdem congrua sustentatione assignamus et deputamus, ast altare ipsum sic dotatum in beneficium ecclesiasticum sub titulo suffragii [illegible] erigimus creamus et dei nomine presentibus confirmamus, decernentes ipsos census (etiam si in toto vel parte eos reemi, aliosque in eorundem locum emi contingat, quod absque capitularis diminutione et de consensu capituli ecclesie Budissinensis ac patronorum fieri precipimus) ecclesiasticos iuri et foro ecclesiastico instar aliorum dedicatorum bonorum gaudere et subiacere, invasores et distractores eorundem sacrilegos utpote tales ecclesiastica cohercione compellendos et percellendos fore et esse. Ne autem stipendium quod laboris gratia tribui consuevit gratis habeatur, statuimus et ordinamus, ut possessor illius altaris pretactus futuris temporibus duas missas, unam videlicet feria secunda aut tercia pro animabus in generali, aliam vero feria sexta pro fundatore et ex familia sua defunctis, nisi in diebus premissis festum novem lectionum occurreret, tunc cum suffragio celebrare, custodi ecclesie annuatim octo grossos monete currentis pro vino et pane solvere, Decano et ecclesie Budissinensis obedienciam et reverenciam tempore institutionis per ipsum et capitulum faciende promittere, Ceteris personis eiusdem ecclesie in habitu solito et consueto conformare, choro [illegible] per adventum et Quadragesimam ac etiam aliis temporibus confessiones christifidelium sibi confiteri volentium audire, diebus festivis et dominicis circuitibus interesse, Ac tempore hyemis tectum capelle a nive et glacie, ne ex ipsarum resolutione capella aliquo damno afficiatur, purgari facere, Ceterumque ipsum iuxta suam possibilitatem, cum opus fuerit, reficere et in esse servare teneatur, obnoxius et obligatus esse et manere debeat. Jus vero patronatus seu presentandi, cuius primum possessorem ex speciali desiderio fundatoris capellanum suum esse volumus, ad dictum dominum licenciatum fundatorem quoad in humanis fuerit, ipso autem de medio sublato ac universe carnis viam ingresso ad vitricos seu provisores ecclesie Budissinensis eo tempore spectare debere ordinamus, ita tamen [illegible] capellanum [illegible] qui longiori tempore servivisse per capitulum eiusdem ecclesie declaratus fuerit si beneficiatus non est, Alioquin ipsum in servitio ratione senii sequentem et nullum alium Decano et capitulo presentabunt, Nec alium quemquam debere institui, aliasque tam presentationem quam institutionem nullas esse volumus. Premissis omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interponentes pariter et decretum. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre acceptationis, Erectionis, Unionis, Incorporationis et confirmationis, decretique nostri interpositionis infringere aut ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum in castro nostro episcopali Stolpenn [illegible]